



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christophori de Ortega Sanclementini, E' Societate
Iesv. Qvondam in Provincia Toletana Theologiæ
Scholasticæ publici Professoris ... Tractatvs Dvo, De
Trinitate, Nec non, Incarnatione**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, 1664**


Disputatio I. De regno, & dominio hominis Christi in creata reliqua.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94251](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94251)

condignum & superabundanter fuit promeritus: ac proinde, & meritorie pro omnium peccatis satisfecit: qua in re neminem dissentientem vidi ex Recentioribus, imò nec ex antiquis, si Vaqueum excipias, qui totus in gratiarum actione, & oratione est, nisi que legi, quod conclusio, vel leuiter, officiat solum.


Obijci potest Christum id, in quod venit in mundum habere debuisse pro motiuo suarum actionum: cum vt exactè opus suum, ac perfectè, perageret: tum vt suam humanam voluntatem, nec solum opera conformaret perfectissimè voluntati diuinæ, vt conformatum de humana testatus est sæpè: *in iis, que patris mei sunt oportet me esse. Et iterum: non veni, vt facerem voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me:* & pluries: At missus est, ac venit à Deo ex fine redemptionis, & satisfactionis pro hominibus: ergo is

fuit ipsi omnium suarum actionum præstitus finis ergo in nulla habuit pro fine aliarum virtutum speciales honestates: ergo nec vllam aliam intendit, siue exercuit præter ipsam, sed tanquam medium ad redemptionem, & satisfactionem inrentam. Respondetur tamen: non posse ex fine redemptionis ceteras virtutes propter suam honestatem, vel quantum satis sit vt virtutes sint, à Christo Domino exerceri, cum in eis, vt talibus, sit meritum & satisfactio pro nobis. An verò ex affectu, & intentione eius finis imperatiuè, an verò motiue solum, difficultas est qua ex aliis principiis pendet, quam hic examinare non expedit: cum satis ad obiectionem sit ex affectu redemptionis nostræ, ceterarum virtutum actus imperatos in Christo fuisse: quomodo vnaquaque propter ipsam exercetur, etsi id ad virtutis cuiusque exercitium requiratur.



CONTROVERSIA SEPTIMA. DE HONORARIIS CHRISTI, QVA hominis, dignitatibus.

IN honorariis Christi, quæ hominis, dignitatibus numerantur hæc, Regnum, Dominiûmque in creata; Sacerdotium summum, siue spirituale regnum, Mediatoris officium, capitis dignitas, iudicialis potestas, ac debita ipsi adoratio: quorum singula singulis exactè disputationibus absolue-



DISPUTATIO I.

De Regno, & Dominio hominis Christi, in creata reliqua.

Christi regnum dominiûmque ex parte formæ ac dignitatis, multiplex considerari potest. Primò enim considerari potest Regnum ipsius diuinum quod ipsi, quæ hominibus, siue eius humanitati minimè conuenire, certum constat apud Theologos est. Licet enim Math. 28. num. 18. etiam respectu humanitatis suæ dixerit, *data est mihi omnia potestas in celo, & in terra:* terminos potestatis suæ humanitatis datæ designat, non autem omnem potestatem, quæ in celo est, etiam diuinam, datam declarat. Imò solam spiritualis regni sui potestatem significasse concors Patrum sententia est. Ratio est ex dictis contr. 4. d. 2. perspicua: quia potestas, dignitasque Regia diuina est attributum diuinum commune metaphysicè consequens Deitatem Deûmque quæ talem; nullum autem attributum diuinum commune suum effectum formalem, formalitatemve communicat humanitati, imò neque communicare potest, sed ei tantum, qui re ipsa Deitati identificatur. Quod secus habet in formalitatibus personalibus v.g. Paternitate, filiatione quæ humanitate filiam denominat atque denominatiuè constituit.

At, inquit: humanitas est filia naturalis Dei: ergo iure filiationis naturalis Dei, quasi hæreditarie, competit ius ad Regiam potestatem Dei, bonaque omnia ipsius: vt arguebat adhuc ex filiatione nostrâ adoptiuâ paulus. *Et ergo filij, & hæredes, hæredes quidem Dei.* Sed Paulus bene infert supposita subiecti capacitate, nec ad omnia Dei ius hæreditarium concedit adopti-

R. P. Christoph. de Ortega, de Deo vno & Trino.

nis. Non est autem capacitas in humanitate Christi denominatiuè filia ad Regnum diuinum; quod indiuisibiliter est supremæ potestatis in creata omnia, atque in ipsa humanitate respectu autem sui humanitas potestatem habere nequit; quare, nec diuinam, quæ essentialiter est potestas in illam. Solum ergo disputari potest de Christi, quæ hominis, Regno diuino, ac purè increato inferiori, seu, quod creatum absolute est, licet titulo vnionis habeatur. Hoc autem diuidi potest ex parte formæ in Regnum purè humanum, & humano superius; rursus humanum, ex parte materiæ, in particulare vnus vel plurium prouinciarum; & vniuersale totius orbis, scilicet subhumanis. Primò igitur speciale Christi in Iudæos Regnum examinabimus. Secundò an habuerit regnum vniuersale humanis simile. Tertiò an humanis superius? Quartò de ipsius in creata Dominio.

QVÆSTIO I.

Habueritne Christus homo speciale Iudæorum regnum, iusve aliquod ad illud?

Voniam præcipuum hominis Christi ius ad Hæbreorum seu Iudæorum Regnum progenies ipsius ex Davide iusque ob illam hæreditarium esse posset Christi ex Davide; generatio examinanda hic rigide erit. Equidem Christum ex David generatum constat ex vtrâque Math. & Lucæ genealogia cap. 1. Romanorum 1. n. 3. & cap. 2. ad Thim. 2. num. 8. id autem rursus ex vtroque parente reputatio nempe, Ioseph, & naturali, scilicet Mariæ, constat. Cum enim Ioseph David filius linea mascula fuerit, vt dicitur Math. & Lucæ 1. in genealogia: & rursus apud Math. num. 20. & Lucam num. 26. & cap. 2. num. 4. atque ex

H H h h 2 Hæbreo

Hæbreorum lege, de primogenitorum huptis, non nisi foemina de sua tribu, & familia iungi matrimonio potuerit: manifestum est Mariam ipsi matrimonio adiunctam è tribu Iuda atque Davidis familia extitisse. At verò, quâ linea & loco? an per masculos an per foeminas primogenitas ut ipse ius hæreditarium Regni Iudaorum Christo statuatur homini, vel negetur? Puræ diuinationis negotium Maldonado nostro visum est. Nobis autem examinandum in præsentem an ex Scriptura constet Christi Domini naturalis ex Dauide propagatio per Mariam, nec solum putatiua per Ioseph: ut inde ad questionis decisionem maiori fundamento procedamus.

CERTAMEN I.

Naturalis Christi ex Dauide per Mariam propagatio constat ex Luca Genealogiâ.

Noster Vasquez t. 2. 3. p. d. 127. cap. 4. doctissimè que Maldonado ad Luca genealogiam docent non solum à Math. sed à Lucâ Iosephi non Mariæ genealogiam describi, verum à Mathæo naturales progenitores postos esse, à Luca verò legales. Quare nusquam ex Scriptura constare Christi ex Dauide per Mariam propagationem. Referunt pro hac opinione Patres plures quorum exiit dux antiquissimus Africanus episcopus ad Aristidem relata ab Eusebio 1. hist. cap. 6. & Nicephoro 1. hist. cap. 12. Subscribere Nazian. carn. de Christi genealogia, Ambr. 3. in Luc. cap. 1. Aug. 2. q. Euangelicar. q. 5. & 2. de consensu Euang. cap. 2. & 3. Damasc. 4. de fide c. 15. longè ab initio S. Th. 3. p. q. 32. a. 3. ad 2. At autem Africanus se eam expositionem duplicis genealogiæ Iosephi in quarum altera Matt. ait Ioseph Iacobi filium fuisse, in altera verò fuisse Heli filium Lucas testatur, ut à Luca legalis, à Mathæo naturalis Iosephi pater referatur, à cœuus cognatisque Christi secundum carnem Iudeis accepisse, quâ Euangelij veritas declaratur. Quamuis, addit, nullo certo testimonio sit confirmata, eam verò ipsi quoque probate id est, examine. Sed in primis Augustinus non magis tandem, quam pro nostra tertiâque aliâ explicatione ad veramque genealogiam conciliandam, pro hac steterit, ut infra videbimus: imò in nostra tandem quiescere probabilis est. Secundo: cum Patres omnes Africanus, iudicio ducantur, Africanus verò consanguineis Christi Iudeis in legali Iosephi genealogia componenda cõsentiat, liquid in eius compositione falsum deprehendamus, consanguineorum Christi authoritas siue ignorantie siue malitiæ nomine corruat necesse est: Quare, & nota, quæ huic inicitur huius sententiæ fides. At verò Vasquez ipse, qui tantam huic Africano, & cognatorum Christi expositioni & genealogiæ fidem adhibendam contredit, apertum in eorum genealogiâ errorem recognoscit citato loco c. 5. num. 52. §. Verum enim verò, quem notauerat prius Galatinus. Aiebat enim illi, Heli Patrem legalem Iosephi fuisse filium Melchi ex Esâ ac proinde Melchi fuisse auum legalem Iosephi: cum tamen nec proauus quidem, sed atauus, ut minimum, per Luca genealogiam esse possit: ut constat ex illis verbis Ioseph, qui fuit Heli, qui fuit Nathar, qui fuit Leui qui fuit Melchi.

2. Tertiò: quia, ut hæc expositio diuersitatem Euangelistarum in patre Iosephi nãtando, utcumque redigat ad concordiam, non tamen ea solum diuersitas in progenitoribus Iosephi recensendis apud vtramque genealogiam inter vtrumque Euangelistam adest: Quare concordia eâ expositione quaesita atque apparata est insufficientis. Etenim Iosephi genealogia ab Heli vsque ad Dauid texti non debuit nisi naturalis: sicut textitur a Dauid vsque ab Abraham, ut iam dicam; si autem naturalis textitur Iosephi genealogia ab Heli

vsque ad Dauid, quomodo in progenitorum nominibus vtriq; Euangelistæ non conuenit? An lineâ masculinâ duplicatâ habuit Ioseph progenitores reliquos an verò eos omnes habuit binomios? Quarto: cum à Dauid ad Abraham iidem progenitores numerentur ab vtroque, ique doctores asserant à Mathæo naturales Iosephi progenitores numerari, exinde etiam à Luca naturales etiam progenitores Iosephi numerari eisdem erit fatendum: æquiuoca verò genealogia est, in quâ eiusdem hominis, modò legales, modò naturales progenitores recensentur, quod vitium longè ab Euangelicâ genealogiâ abesse debuit. Scio responderi posse duplici huic impugnationi: cum per patrem legalem alicuius genealogia ordinatur, Parentis legalis naturales progenitores, non autem filij legalis, qui non sui sed legalis Parentis familiam protrahat, numerandos esse: quare, cum Heli progenitores vsque ad Dauid diuersi à progenitoribus Iacob, Patris naturalis Iosephi essent, exinde verò ad Abraham iidem vsque ad Dauid diuersi ab Euangelistis numerantur; quia alter naturales Iosephi progenitores narrat, alter verò Patris legalis progenitores naturales, legales verò Ioseph. Cum autem vtraque linea Iosephi, & familiæ naturalis per Iacob & legalis per Heli ex Dauid, in quo iungebatur, procederet, inde ad Abraham vsque numerantur ab vtroque iidem; non quia naturales Iacob & Iosephi progenitores sunt à Luca numerati, sed quia Heli progenitores etiam erant naturales, ac proinde Iosephi legales, quos solum ipse numerare curabat. Hæc autem Gene haberent, scilicet Scripturâ, & Hæbreorum vsu vel exemplo, alicuius saltem filij legalis genealogia per Patris legalis auos, atavosque fuisset contra, cum eadem rei huius exemplum non sit, ut legalis genealogia alicuius vltra legalem patrem textatur, eam sic contexti ab Euangelista æquiuocationi & difficultatibus locum daret. Secundo: nullo fructu huiusmodi genealogia texeretur: maximè ad intentum Euangelistæ de declaranda propagine Christi ex Dauid, Iuda, & Abraham; cum, quantum ad puritatem propagationem Christi ex illis per Ioseph, & consanguinitatem Matris cum sponso, quare, & eam vniuerim ex eisdem fuisse propagatam, & ex Mathæi genealogiâ sola monstratum fuisset: Quare, nisi aliud Lucas intendere, frustra tam proluxa genealogia ab ipso texeretur.

3. Licet autem hæc ita sint, non eo vsque durifumus, ut nostris etiam vero similibus opinionibus, despicimus priorum alienas. Sic ergo texenda legalis Iosephi genealogia erit ex Africano ab errore supradicto emendata cum Anselmo, Peda, Euthymio, Bonau. & Vasq. proximè num. 57. §. eam igitur sententiam: ut Esâ nupsit Nathan, qui ex Dauid per Salomonem ducebat originem, eoque genuit Iacob, patrem naturalem Iosephi, ut habetur apud Math. eo verò vitâ sancto, Esâ nupsit rursus Nathan, ex quo filium suscepit Heli legalem Iosephi patrem, ita ut Heli, & Iacob ex eadem Esâ orti, fratres fuerint vterini; duxit autem Heli uxorem vitæque sanctus sine sumpta prole fuit, cuius uxorem accepit vterinus frater Iacob ut ex legè Deuteronomij 25. & defuncti hæreditatem adiret, noménque illius suscitaret.

At inquit Augustinus supra (ex quo Olfander hæreticus insulenter hanc Euangelistarum concordiam impugnat) lex ait, fiscoes legales primogenitos, nomine Patris legalis nuncupandos his verbis Primogenitum ex ea filium nomine illius qui non suscepti liberu decessit appellabit, ut non deleatur nomen eius ex Israël; ergo, cum Iacob primogenitus ex vidua Heli fuerit Ioseph, iuxta hanc opinionem non Ioseph, sed Heli nominandus foret. Respondet tamen idem Augustinus. Retract. c. 12. nomen defuncti, quod dicitur esse, ad hoc lex valere præcepit, ut eius filius diceretur, non ad hoc, quod ille vocaretur. Cum enim naturalium adhuc Pa-

Tom nomina filij portare non deberent, imò raro apud Hæbreos portarent, sed solum familiæ & hereditatis successorem, id solum filiis legalibus necesserant ex lege, non verò Patris legalis nomine compellari. Sic Booz ex Ruth. Vidua defuncti sine prole Mahalonis, vel Chelionis filium susceptum neutro appellavit nomine, imò nec suo sed *Obed* teste Mattheo.

Videò tamen multa in hac opinione supponi, nullo fundamento firmo, vt eius author Africanus aiebat, tum, quia non constat an linea mascula fratrem habuerit Heli, ad cuius matrimonium eius vidua primo loco pertinebat: tum quia, debita Heli absque liberis; de Iacob fratris matrimonio cum eius vidua videtur diuinatio. Sed tamen cum opinio hæc Euangelistarum discordiam conciliet, atque ita accidisse poterit; improbanda profus à nobis non est, qui nostra hac quæ quali Opella, totisque studiis nostris catholice veritati astruenda tuendaque laboramus: sed quæcumque eam expedire posse in aliis viderimus, laudanda atque in pretio habenda nobis erunt, exemplo Patrum Naz. Damasc. Euthymij ac S. Th. qui concordie Euangelicarum Genealogiarum amore, Africani Genealogiam, errorem in illa notatum minus aduertentes obuiis vlnis exceperunt. Exemplo item Augustini supra, qui ex concordie zelo aliam opinionem excitauit: quod scilicet Heli pater adoptiuus Iosephi fuerit ab ipso in Filij adoptiuo: eo solum, quod ita potuerit accidere, eoque Euangelistæ cõueniant. Quæ in re à nobis etiam laudatur.

4 Nilominus cenfeo verius: diuersitatem progenitorum Christi numeratorum à Luca absque vlla Mattheo discordia esse, quia hic Iosephi patris putatiui Christi domini, ac proinde huius putatiuam ex Abrahamo, & Dauide progeniem, scripsit, vt omnes faterentur; Lucas verò naturalem Mariæ Matris veræ Christi Domini: quare & huius, etiam secundum carnem, naturales progenitores recensuit. Hanc puto æque, ne plus dicam, atque primam fuisse Aug. opinionem supra: vbi eam cum duabus aliis indifferenter proposuit. Primæ autem æque atque huic suam opposuit obiectionem, vt proximè vidimus, dissolutæque citato loco retract. Eam verò, quam huic opinioni opposuit, leuiorem quidem, diluit. q. 4. in Deuteron. & 2. retract. c. 7. Pro hac etiam opinione sunt Seleucus apud Hieronymum. t. 9. lib. de ortu Virginis, quem ipse approbat Hieronymus. Item diu Hieron. manuscripto nondum excuso citato à Ioanne Anno citando, memorato à Vaquez c. 3. num. 28. & à Driedero citando Galatig. 7. de arcan. Cath. veritatis c. 12. Driedo 3. de Dogmat. sacræ Scripturæ tract. 3. c. 5. p. 4. Ioann. Annius lib. de Chronographia Philonis. Quo in opere, licet in temporum supputatione ex proprio cerebro, nec bene componat, quoad res tamen è Philonis autoritate, & scriptis loqui credendus est. Iansen. 14. concor. Euang. Ioan. Lucius de emend. temp. c. 9. ac lib. 7. c. 1. Gagneus, & Arias montanus in Lucæ locum. Ex Scolasticis. Canus. 1. 1. de locis Soar. 3. p. t. 2. d. 2. Petrus Hurtado d. 81. de incar. §. 35. Bernal. d. 61. sect. 1. §. 2. num. 2. 1. eandem verò sententiam Catholicam, ac defensibilem docent esse Canisius. 1. de Beat. Virg. c. 3. atque eruditus, licet alias hereticus Erasmus annotationibus in 3. Lucæ. Ex aduersariis etiam Caietanus ad 3. Lucæ amplectendam fore ait, si constaret. Maldonatus Recentioribus valde multis placere, sibi que placituram, nisi persuasum haberet Euangelistas verum Ioseph genus describere voluisse; verum nescio vnde illud potius, quam sententiam istam persuasum Maldonatus habeat, vnde eam magis constet opposita, cum & ab autoritate, & à ratione maius in nostra quam in opposita momentum fuerit. Nam præter Patres, & Doctores, tum pscos, tum nouiores citatos, ita habuerunt Doctissimi vetustissimique Rabbini, Rabbi Haccados lib. Galerayez, siue Reuelationum per Eliam habitatum in spelunca Ref-

ponione ad Antonium consul. Rom. de Patre Matris Messie Rabbi Accanas. Rabbi Mellumie Filius Epist. ad cognitionem generationis Messie.

5 A ratione verò plura, quam aliis duabus, nostræ huic opinioni suppetunt fundamenta. Primò enim in hac opinione non minùs, quam in aliis Euangelistarum discordia quiescit: quo vnico fundamento indultæ laudatæ duæ aliæ opiniones sunt. Secundò: nunquam in Scripturis, & Hæbreis Historiis legalis Patris Genealogia vltra ipsum ad auos, atque deducta fuit, nedum vsque ad Adamum protracta: cum tamen illustrium faminarum, licet longè Mariæ obscuriorum, Genealogias texere ex vsu Hæbreis, & Scripturæ fuisse constet ex Iudith. 8. Tertio: quia, licet id nusquam in vsu & exemplo fuisset, in Maria; quæ nec similem visa est, nec habere sequentem, & suorum Progenitorum Regum Ducum, Patriarcharum Prophetarum, Dei tandem, quem Lucæ Genealogia pertingit, gloriam eximiam ipsius Genealogiam texti oporteret, vt & Mariæ ex adeo claris progenitoribus decus, & eorum è tali filia splendor in obscuro non esset. Quod argumentum ampliùs confirmatur, si ad Christi gloriam, qui eorum progenies, non nisi per Mariam fuit, deducatur. Quarto quia Genealogia exploratè Iosephi non ideo posita ab Euangelista Mattheo fuit, vt eius præcisè progenitores noscerentur, nec id fuit distantis Spiritus Sancti finis: sed, vt per eius Genealogiam Mariæ sponse quæ ex eadem tribu esse debebat, eiusque Filij vniversim ex Iuda, & Dauide Genealogia crederetur: vt in huius ortu prophetiæ de Messia adimpletè deprehenderetur: id autem ex Genealogia Mathæi vniversim constabat, fortiusque quam per Genealogiam patris Iosephi legalis: cum Matheus naturalem, & strictiorem eius ex Abrahamo, Iuda, & Dauide propagationem recenset: ergo superfluo, irratòque ad intentum labore eiusdem laxior impropriorque per parentem legalem propagatio à Luca texeretur. Quod autem is fuerit Genealogia Iosephi etiam Mattheo scribendi scopus, & Spiritui distantis finis, Hieronymi ac Patrum reliquorum concors sententia est. Atque ex ipso Genealogie eiusdem initio demonstratè sic enim orditur: *Liber generationis Iesu Christi, Filij Dauid, Filij Abraham:* ergo non Iosephi legalis, sed Mariæ naturalis, ac proinde Christi, posita à Luca fuit.

Quintò cum is fuerit Iosephi etiam Genealogie scribende & Dei Euangelistæ finis, credendum non est naturalem Christi ex eisdem Abraham, Iuda, & Dauide verumque Genealogiam per Mariam à Deo & Euangelistis fuisse omisam: ex qua clariùs, faciliùsque Prophetiarum de Messia propagatione ex illis adimpletio, vel oculis ipsis cerneatur. Sextò, & vrgentiùs, ni fallor: quia vxores ex lege, licet ex eadem Tribu accipi deberent, non tamen ex eadem familia; quare Iosephus postet vxorem absolute ducere ex alia familia, quæ non esset Dauidis, esset tamen ex Tribu Iuda: v. g. ex familia alterius Filij Isaij, qui fuit, fratris Dauid: quare, vt Christus verus Filius Dauid iuxta Prophetias per Genealogiam ostenderetur certò, Mariæ, & proinde Christi Genealogiam naturalem secundum carnem conscribi necesse fuit.

6 Verius difficultatum solutione statuenda hæc opinio est. At inquires: si Mariæ Genealogia naturalis à Luca exarata est, non autem legalis, vel adoptiua Iosephi, quorum Lucas num. 23. ait, *Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur Filius Iosephi, qui fuit Heli.* vbi Filius Heli Iosephus dicitur, ac proinde eius Genealogia qualis qualis ea sit, non autem Mariæ refertur, quæ, nec quidem nominatur. Canus. Soar. & Petrus Hurtado negant Iosephum dici filium Heli. nam illum, qui Iesum referre aiunt: vt sentus sit: *qui Iesus fuit Heli:* sed tamen, cum relationum qui absolute positum, proximè antecedentem H h h 3 personam

personam in bona grammaticā, ac non æquiuocā, referat, sicque in eadem Genealogia Luca pro superioribus progenitoribus repetitur videatur, immediatam personam antecedentem videtur representare: cum quo clarior est Histōria, iuxta hanc expositionem, æquiuocatio, in qua idem relatiuum absolute positum nunquam mediatam, sæpe immediatas personas representet. Concludunt aliqui in tota Genealogia Luca pronomen *qui* vbiq̄ Iesum referre etiam in illo, *qui fuit Adam, qui fuit Dei*; bona fortasse, aptaque Mysteriis concipiendorum solutio; mala verò grammaticæ, vt dixi, ac Genealogiarum scribendarum vsui, imò, & Theologiæ. Etenim si ita res habet, antecessores Christi non recensentur suis locis, & gradibus ab Euangelista, ac proinde Celsus apud Origenem, contra ipsum longè ab init. & Iulianus Apostata apud Cyrilum, 8. contra ipsum liberius Christum ex Iuda procreatum negabunt. Insultantēque hic initio huius libri ostauit recitatus dicit, *qui enim Genealogiam narrantis re fertis in Iudam, quod, & ipsi non potuistis bene fingere*. Denique repugnat solutio hæc textui. Nam de pluribus immediatis progenitoribus constat referri eo pronomine *qui* ad suos vltiores, altioresque immediatos. Id circo hanc expositionem docti quique interpretes cum stomacho reiciunt Salmeron *durum*, Maldonatus *cautum* Vasquez, *valde cautum*, Bernal hæc omnia eam appellant. Illud igitur *qui* primum Iosephum, vt volunt obiectantes, referre statuendum tanquam certum est, respondendumque obiectioni cum Anno, & Driedone dictum Ioseph Heli filium, quia Mariæ sponsæ naturalis, quare, & Iosephi ipse socer erat. Socer autem generi pater vulgò & iure dicitur; quia matrimonio vnum & idem cum sponsa maritus fuit, iuxta illud Hænesis, *Et erunt duo in carne vna*. Quare ex eodem, atque illa, patre censetur, cur autem ab Heli ad Iosephum lineæ Genealogiæ diuerterit, ac non naturalem filiam tetigerit, mysterij plenum negotium fuit: vt scilicet inde contagio propagnis ex Adamo Maria crederetur immunis, à qua Genealogiam ex Adamo, scilicet Originalis traducem decorè, ac solent ad eadē diuina historia diuerterit: aliaque plura alibi ratiōque persequer, quæ presertim instituit non sunt.

Sed contra infurges. Nam Maria pater non Heli, sed Ioachim fuit. Respondent Annius, & Galatinus Heli Eliachim, & Ioachim eandem personam significare. Id quod probant: Primò ex Rabbi Heuados supra sic de Matre Messie respondentēs. *Parentem eius duplex habiturum nomen, vnum Eli, alterum Iehoiachim, & Eli, quod est nomen derivatiuum, esse dicit eum ad sublimem gradum ascensurum. Iehoiachim verò quod est nomen compositū significatū Deum in manu ipsius suscitaturum, salutem domo Egròbabele filij Salathiel sicut scriptum Zauationem Israelis maximam. Tribus autem Iuda descendit thar. c. 4. Quis tu mens magne coram Zerubabel in planum deducet petram primariam. Hac petra primaria mater Messie Regis, Et Rabbi Hauanas supra, erat quadam puella in Berbleem Iuda nomine Maria, filia Iehoiachim Eli de genere Zerubabele. Et sane Eliachim & Ioachim synonymè ferè diu, eandemque personam significare constat ex Ioachim vetustiori, qui in transmigracone Babylonis indifferenter Eliachim nominabatur verum que ex Dei nomine Eloah alterum, Iehona, aliud, componitur: atque C. H. scriptum Domini præparationem cum & verò Domini resurrectionem significat. Eli verò idem est nomen quod Eliachim, vt bene Iansenius citatus, licet breuitatis causa decurtatum ad vsu vulgarem, quemadmodum in lingua quavis vsu sit, parte nominis, siue anteriori, siue posteriori, qua & totum, & persona satis percipiatur assumpta, & reliquo nominis omisso: vt Hispanè *Antoni pro Antonio* *Bela aut Beilla* pro *Isabel*, aut *Isabelita*. Ast in ista Vasquez iuxta hæc etiam nomen patris Mariæ fuisse *Eli*: cum tamen nomen eius cuius Ioseph dicitur filius, sit *Heli*, quod diuersum est, nec Ioachim no-*

mini synonymum; quare diuersam personam significans. Dicitur enim à Luca *Ioseph qui fuit Heli*. Respondetur tamen ex Ioanne Entenio in annotationibus ad Euthymium de locis, quibus Græcum ipsum exemplar ab aliis differt, Euthymium sine aspiratione, siue spiritu aspero legisse *Hæli*. Sed scribatur cum illo iuxta vulgaram, idem tamen nomen est. Vulgò enim loquentibus in omni lingua aspirationem, vel omittendam, vel apponendam exigua cura fuit, vt constat ex Euthymij lectione: atque ex nomine Iehoiachim, pro quo vulgò Ioachim non solum aspiratione, sed altera etiam litera omisa, vsurpabatur. Et fortasse non ex iniuria id Hæbreis, sed ex religione etiam vulgare vsu venit, ne cum hominem familiariter videreturque vocitarent, alterum è Dei nominibus vel *Iehona* retenta, *E & H*, vel non addita ad *Eli* initiali aspiratione irreuerenter pronunciarent. Id quod maioris irreuerentiæ in *Eli* foret, cum sic etiam Dei nomen pro *Eloah* ab ipsis proferretur, vt constat ex Dei inuocatione à Christo Domino in Cruce facta Math. 27. *U. Eli, Eli, &c.*

CERTAMEN II.

Nullatenus Iudaicum Regnum Christo homini competeat.

A Rmæcanus 4. de quæstionibus Armenor. cap. 11. Ioann. Bacchoni. 4. q. 1. prolog. art. 2. concl. 2. q. 11 art. 3. Abbul. in cap. 21. Math. q. 3. ad id *ecce Rex tuus* Bernardin. de Bussos cap. 12. Marialis scem. 1. Azor. 2. institutionum moralium cap. 15. Petrus Morales ad cap. 1. Math. præcipue lib. 2. tract. 9. concl. 1. & paucilliter regnum Iudaicum homini Christo competeat asseruerunt, hereditario quidem iure, per Mariam, vel per Ioseph.

Negant verò prorsus Salmeron t. 3. tract. 10. Vvaldens. tom. 1. Doctrinal. fidei lib. 2. c. 76. ar. 77. Burgens. in. 1. Math. addit. 2. concl. 3. vbi oppositam vulgi sententiam opinionem appellat (& tamen pro ea à pluribus citatur) Sotus in 4. d. 25. q. 2. ar. 1. & 4. Vasquez t. 1. p. d. 87. c. 1. num. 4. §. *Verum hanc sententiam* Soar. t. 1. d. 48. sect. 1. §. *dico secundo* Alfons. Mendoza q. vlt. quod l. num. 14. falsò à nonnullis pro opposita relatus. Franciscus Mendoza in 1. Reg. cap. 2. num. 11. annot. 15. sect. 3. Petrus Hurrado d. 8. t. 1. sect. 1. Bernal. d. 61. sect. 1. tota, Maldonatus ad Math. 27. num. 11. Adde plures alios Christo Domino negantes absolute omnem regiam creatam potestatem, quos referemus q. 2. & 3. Probat de iure hereditario Maldonatus his, & verbis, & oratione. *An autem ad illud ius regium perueniret, si Rex esse voluisset, meo quidem iudicio, non satis constat. Quia nescimus an ex Regum genere alius fuisse eo propinquior, ad quem regnum, si ad ius hereditarium reuocandum esset, pertineret. Sed hoc solum probat, nec affirmari posse, nec negari Christo homini ius hereditarium regni Iudaicum; at verò, inquit, Soar. & Bernal, cum ius regni hereditario iure ad lineam Salomonis pertineret, ex qua Christus homo procreatus non fuerat, sed ex linea fratris eius *Nathan*, ad quam, nisi euerfa funditus Salomonis linea, regnum Iudæ non pertinebat: non fuerat autem ea linea prorsus extincta: nam ex illa Ioseph erat; quare non poterat regnum Iudæ iure hereditario Mariæ naturalis Christi Matris esse. Sed argumentum hoc non est adeo incutabile, vt Bernal & Soarius existimant. Nam Deiparam in eorum *strâque* sententia ortam ex Zerubabele, & Salathiele constat ex Luca: hoc autem ortum ex Salomone ducere testatur Mathæus; quare alterum è duobus admittendum est: vel Salathielis in altera et genealogiis lineam femineam ex Salomone ceteri foemina nomine omisso: vel Nathan illum non tui-*

se Davidis filium, sed nepotem vel pronepotem, cuius immediatus parens recitatur. Nam linea mascula Salathiel non potuit è duobus oriri. Melius arguet tam illustrem Salomonis familiam in adeo pauperem foeminam atque Mariam, non potuisse tanquam in suum caput desinere: vt opus erat ad ius proximum hæreditarium regni: nec, si ita esset, ad Mariæ humilitatem commendandam Euangelistæ retinissent: quod ipsum De Iosephi dictum, putâ cui; etsi ius illud suppeteret, non tamen hæreditario iure in illud succederet homo Christus, qui verus ipsius filius non erat, sed putatiuus. Sombiantium enim est, quod aliqui dicunt, fuisse etiam Iosephi filium adoptatum Christum.

2 Probat secundò; quia, etsi nemo esset ex stirpe David & Salomonis Maria maior, & regno propinquior, at Dei voluntate, & sententia, ex qua, vel maximi ius filiorum David, & Salomonis ad regnum illud pendebat, linea Iechoniæ, cuius nepos fuit Zorobabel, Mariæ progenitor, vt constat ex Luca 3. imò, & Iosephi, vt constat ex Matth. 1. regno Iudææ, & iure etiam priuata est Ierem. 22. num. vlt. dicentis: *scribe virum istum sterilem, virum, qui in diebus suis non prosperabitur: Nec enim erit de semine eius vir, qui sedeat super solium David. ecce Regni priuationem, & potestatem habeat ultra in Iuda, licet ad tempus videatur limitasse Hieronym. vt locus prophetiæ Gabrieli Luca 13. relinqueretur, & dabit illi Dominus Deus sedem David Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum: tandem verò hanc Prophetiam de regno Spirituali Christi, interpretatur, ne Ieremia aduerfetur: & quia de temporali Iudaico in Christo impletum non fuit; factò vero etiam ipso constat, nullum Iechoniæ posterum regnum, iusve illius, in Iudæos habuisse, & ex 1. Math. 14. regnum, iusque ab ea linea ad Simeonis eiusque genus tranflata sunt. *Donec surgere Prophetæ fidelis, quem, vt opte carnales, temporaliter regnatum Iudæi putabant, pravè intelligentes Moyses Varicinium Deut. 8. Prophetam fecit me, quo errore Christum in palmarum triumpho atque in Magorum aduentu Regem suum, Davidisque successorem recognoverunt, & proclamaverunt, licet sibi inconstanter, ac perfidè contradixerint cum Pilato reclamabant Ioann. 18. n. 15. non habemus Regem nisi Cæsarem, & noli scribere Rex Iudæorum, &c. Nec refert Athanasium ferm. de sacra Deipara post medium ad id Psal. 109. Dixit Dominus Domino meo, &c. dixisse: accepit autem Christus, his verbis thronum Davidis corporaliter ex ratione profapia, quia pater illi David fuit, atque Epiphanium heresi 29. contendere carnaliter impletum in Christo fuisse, vt sederet in sede David, quia de eius stirpe erat. Etenim expressè de regno superiori, in quod Davidicum fuerit commutatum, loquuntur, nec Davidis in eo profapiam, vt ius ad illud haberet, aduocant, sed, vt impleretur Prophetia, quod longe est diuersum, vt patet. Etenim nisi in postero, David prophetiæ minime impleveretur. Stet ergo iure hæreditario Christo homini, nec Iudæorum Regnum, nec ius ad illud contigisse.**

3 Sed nec populi electione Regnum illud, iusve ad illud obtinuit. Preparatio quidem semel, vt cum eligerent quinque millibus hominum panum pisciumque miraculo futuris adfuit, non electio: quæ etiam pauculis, etsi adesset, ius ad Regnum Iudææ, ne dum regnum ipsum, non daret. Quod autem in ducum, è Simeonis genere, electione dixerit populus à se fieri donec surgere Prophetæ fidelis Machab. 14. electio Messæ in Regem non fuit cum veniret, sed suæ opinionis declaratio de futuro Messæ Regno. Nec, si electio fuisset, ius daret regni ex tunc pro tempore aduentus Messæ, nisi populus, qui tunc adesset, confirmaret; qui potius restitit dicens non habemus Regem nisi Cæsarem Populi autem huius in Palmis proclamatio, non electio, sed dati sibi à Deo, iuxta Oracula Regis plau-

sus, & acclamatio. Deinde nec Dei electione ius, regnumve illud Christus habuit: Nam Gabrieli vaticinium Luca 1. & Davidis Psal. 12. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius.* de Regno actuali, suo actu regnandi, quæ in Iudæos Christo defuerunt, sonant; ac de Spirituali Regno Christi à Patribus omnibus intelliguntur, vt verba immediatè sequentia Psal. illius euincunt: *Predicans præceptum eius.* Nec in Iudæos solùm, sed in gentes omnes cunctisque orbis nationes, vt constat ex num. 8. *Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terra: ac numer. 9. Reges omnes iubentur, spiritualem orbis totius Regem adorare, & nunc Reges intelligit: erudimini, qui iudicatis terram. servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore, num. 10. Apprehendite disciplinam siue, vt alia versio apud Lorum nostrum, osculamini filium, id est, adorato filium hominem Christum, nam osculatio adoratio est. Sacerdotij verò titulo, qui solus reliquus est, regnum temporale Iudaicum, iusve ad illud non obtinuit homo Christus cum Sacerdotio temporale directum regnum adiunctum non sit, sed indirectum, solūque directum spirituale vt d. 2. dicemus. Quod autem in Melchisedech, Christi Sacerdotis, vt videbimus, typo, regnum saltem directum temporale cum Sacerdotio adfuerit nil probat: nam similitudo in omnibus esse non debet in eodem genere: sed satis est Sacerdotio, & Regno illo imperfectiori, superius pure humanis & Sacerdotium, & regnum hominis Christi representari. Nec magis præstat, quod Ezechiel 21. ad Sedechiam vltimum, vt vult Hieronymus Israelis Regem, & Ierem. 22. dicatur *tolle cydarim, tolle coronam, donec veniat, cuius est iudicium quod quidem Christi hominis est. Ioann. 5. quasi corona, & regnum illud Christo restituendum; restituendum enim erat illud in melius perfectiusque spirituale regnum mutatum, vt Hieronymus, aliique Patres ibi.**

4 Oppones Christum rogatum à Pilato an Rex esset? temporalis scilicet Iudæorum intelligente, respondisse Math. 21. num. 21. Marci 15. numer. 2. Luca 23. numer. 3. *tu dicis quod iuxta Hæbræam phrasim fuit concedere: ergo falsus est se Regem Iudæorum esse; nego consequentiam. Nam licita æquiuocatione illegitimo iudici, verèque subdito suo Pilato illusorie respondit, ne negatione malignantis nature adhibita, omne prorsus regnum videretur negasse: ac proinde, & se Messiam Regem promissum videretur distiteri, fideique de suo Messatu necessario officere statimque regnum suum non esse de hoc mundo explicuit Pilato: quo hic, nec rebellasse in Cæsarem, nec causam damnationis in eo, esse falsus est illico. Similiter, non fitione, sed omissione, ac veritatis tunc necessaria dissimulatione rogantibus discipulis de temporalis regni Israël restitutione, quod nondum ipsi capiebant, respondit Christus Actor. 1. n. 6. *non est vestrum nosse tempora, vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate.* Sonant enim hæc verba restitutionem Regni, de quo rogabatur, ac tempus illius peragendæ in Patris potestate esse: licet satis statim explicuerit se de restitutione spirituales regni Israël loqui subdicens: *sed accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in omni Iudæa, Samaria, & usque ad vltimum terræ.* Quid autem Iudæi, ac Pilatus ad eos loquens, atque in titulo crucis iubendo, atque constanter seruando sentierint, nostra minoris adhuc refert; cum, & carnales homines fuerint, atque infideles. Quod si ad eam crucis inscriptionem Spiritus sanctus Pilatum impulit, inficium tamen impulit: vt rei ignarus spiritualis omnium Regis Messæ Iudæis promissi aduentum tot linguis ad omnes nationes euulgaret.*

QVÆSTIO II.

An Christus homo regnum vniuersale
humanum habuerit, iussue
ad illud.

¶ **Q**UIMVR de regno vniuersali humano non
ex parte subiecti, sic enim quodvis Christi re-
gnum ipsius humanitati competens humanum est; sed
ex parte formæ, vt initio disparationis diuidebamus.
Nam de regno humanis ac creatis, superiori q. 3. dis-
putabitur.

CERTAMEN I.

Negatiua conclusio stabilitur.

1 **S** Anton. 3. p. titulo 13. c. 2. Almain. de pote-
stat. Ecclesiæ cap. 4. Turrecremata, 2. summ.
cap. 116. Durand. de iurisld. Eccles. q. 3. Hostiensis, C.
quod superius de voto Navarrus c. Nouiter de iudiciis
regnum vniuersale humanum homini Christo adscri-
bunt: id quod docuisse videtur S. Thom. op. 20. de
Regimine Principis lib. 3. c. 13. vbi ait Christi Domini
ortu regna omnia humana cessasse, quia solus ipse vni-
uersalis mundi Rex ab ortu ipso fuit, vt idcirco tunc
ab Augusto titulo Domini, & imperatoris, sublato, orbem
totum describit; Deus disposuerit, ac dicitur: vt nas-
centi imperatori, Regique vniuersali totus orbis pari-
turus, exinde notaretur, atque Reges terræ inciperent
esse Proreges. Sed tamen, licet opusculum hoc
prefatione editionis Romana legitimum S. Th. vendi-
tetur, ac propterea maioribus characteribus fuerit
excussum plura habet indocta, tantoque doctore in-
digna. Etenim vt doctè obseruauit Bernal citat sect. 2.
num. 40. eodem ipso c. 13. post initium huic suæ do-
ctrinæ contradicit, author apertè: expendens namque
illud primo Cor. 15. num. 26. omnia subiecit sub pedibus
eius & Malach. 1. num. 11. ab ortu solis usque ad occasum
&c. docet Dominium Christi à temporalibus non excludi
eo modo, quo ad spiritualia, in quibus est, ordinantur.
O hæc aliâque Bellarminus noster opusculum illud
non S. Th. sed potius pseudo Thomæ, habendum esse
meritò iudicauit: quicumque verò eius opusculi au-
thor extitit, hanc sine dubio sententiam habuit, de hu-
mano vniuersali Christi hominis regno.

Nostriam verò negatiuam conclusionem docent
Driedo de dogmatibus sacre Scripturæ tract. 2. c. 10.
p. 2. fol. 3. Francisc. Victoria Relect. 3. de Eccles. potest.
q. 5. à num. 16. & Relect. de indis à num. 25. Bart. de
Medina 3. p. q. 59. a. 4. Abbulen. in Math. 21. q. 3. VVal-
den. 2. doctrin. fidei Antiquæ c. 76. & 77. Ioannes Pa-
rif. tract. de potest. Regia, & Papali c. 8. Sorus 4. de
iust. q. 4. a. 1. & in 4. d. 25. q. 2. a. 1. Salm. t. 3. historiar.
Evang. tract. 10. num. 26. Canisius de Beat. Virgine, c. 3.
fin. Maldon. ad Math. c. 7. num. 11. Valent. 3. p. q. 22.
puncto 6. Bellarm. 5. de Roman. Pontifi. c. 4. Perer 8.
in Daniel circa finem Barrad. t. 1. lib. 7. cap. 8. Viegas
Apocalipf. c. 12. comm. 3. sect. 9. Castro in Hierem. c. 22.
num. 16. Pineda lib. 5. Præuis. Salm. c. 4. §. 7. Bernal.
d. 61. sect. 2. num. 41. huc etiam aduocandi sunt decem
alii nobiles lectores citandi q. 3. cert. 1. qui nobiscum
in Christi humanitate superius solum humanis re-
gnum recognoscunt.

3 Probatur primò: quia humana omnia regna,
siue vniuersalia, siue particularia de hoc mundo sunt;
at Christi regnum de hoc mundo non est; dicente
Christo Ioann. 14. Regnum meum non est de hoc mundo

ac rursus: si ex hoc mundo esset Regnum meum, misisti
mei utique decertarent, vt non traderer Iudæis. Ergo
Christi regnum de hoc mundo non erat. Nec solum
de regno in actu secundo, vt vult Vasquez c. 2. n. 12.
loquitur Christus, sed in actu etiam primo, cum sine
vlla limitatione regnum suum de hoc mundo esse dis-
fiteretur: ac proinde de regno, quod tale esse dicere
absolutè potest, in signo, & actu quouis. Confirma-
tur: quia colloquium, & dubitatio Pilati cum Christo
vincto, pauperrimoque homine, de regno in actu
secundo esse non poterat, sed in actu primo, siue de
iure, & potestate, quæ sub fordido (vt aiunt) pallio
illo poterant latere: de hoc igitur Regno suo negauit
Christus de hoc mundo esse: id quod egregiè probat
Pilato, nam Rex etiam in actu primo non est ad
ministris ac defensoribus destitutus, vt ipse erat.

4 Probatur secundo: quia Regnum humanum in
actu primo, siue ius, & potestas regnandi humano
more, oritur vel ex electione, vel iure successione,
& hereditario: & neutrum ex his Christo Domino
adfuit: ergo nec adfuit regnum adhuc in actu primo.
Minor suadetur: & de electione primum. Nam vel
ea esset Dei, vel hominum electio; hominum au-
tem electio Christi in Regem non adfuit: debebat
enim esse omnium Prouinciarum regnorumque suffra-
gii, quam ita habitam nego, quantumvis demens ac
mendax afferit adfuisse: Cum nec Regni Index suf-
fragium ad regnum adfuerit, sed potius, vt non
regnaret, sed crucifigeretur, vt vidimus. Dixit Ioa-
nes item cap. 1. in propria venit, & sui enim non receperunt
ad Regnum adhuc spirituale & humano superius; sed
nec electio Christi à Deo facta inuenitur. Illud quippe
ex Psal. 2. Ego autem constitutus sum ab eo Rex. Et
postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam & pos-
sionem tuam terminos terra de spirituali regno homi-
nis Christi Patres omnes interpretantur: atque ita in-
telligi debere ex ipso Psalms illius contextu aperte de-
duximus. Ius autem hereditarium ad regnum vniuer-
sale humanum non habuisse Christum haud magis est
obscurum. Id enim ius hereditarium, siue succes-
sionis ad regnum vniuersale humanum solum ex Maria
vnico verò Parente, Matræque ipsius secundum car-
nem habere possit: in Maria verò, nec ad regnum la-
daicum ius fuisse, nedum ad omnia regna mundi, satis
ostendimus proximè.

5 Tertio demum probatur ab absurdo; quia du-
plex absoluta, atque inuicem independens nec subor-
dinata potestas, eiusdem rationis circa rem eandem
est profus implicatoria, atque repugnans: ergo ius
regni vniuersale humanum, siue humana vniuersalis
potestas Christi, ad omnia regna mundi incompatibilis
est ac repugnans cum quauis & omni potestate
humana, atque humano iure alio ad regnum aliquod
patet: nam in iure, ac potestate humana vniuersali
Christi, ad omnia regna mundi ac totum sublanarem
orbem continetur potestas humana ad hoc & illud, &
illud regnum, atque ad omnia singularitum: Quare
ad quodcumque ius, & potestas alia humana fortè,
& foret duplex potestas absoluta inuicem independens
nec subordinata circa illud ipsum regnum, ac
circa rem eandem, quam implicatorem diximus, ac
planè impossibilem. Pergo inde; ergo ab ortu homi-
nis Christi Reges omnes deficiunt esse tales, ac nisi
è Christo in sui vicarios, & proreges fuerint creati,
quare, & dependenter ab eius potestate gubernantur,
rexerintque, fuerint planè Tyranni; atqui nullum Chris-
tus in sui Vicarium, aut proregem creauit: ergo
Tyranni fuerunt omnes. Hoc autem est absurdum, &
planè contra Ecclesiæ sensum & Scripturam: ergo
regnum vniuersale humanum Christi ex quo inferat.
Consequentiâ prima est perspicua, atque à que clara est
secunda. Quod autem vtrique sit contra Ecclesiæ, &
Scripturæ sensum, probatur ex hymno Epiphaniæ Non
eripis mortalia, qui regna dat caelestia atque ex Christi
responsione.

responsione ad tentaram contra ipsum calumniam Pharisæorum super Cæsaris tributo. *Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris Cæsari &c.* ac ex Paulo sapientius. Minor autem subsumpta de s. patet.

CERTAMEN II.

Obiectionum solutiones: ubi & homo Christus ab omni humano Vassallatu liber ostenditur.

1. SI quæ vniuersale Christi regnum in Scriptura sonare videntur ea non de humano, sed vel de spiritali cum Patribus & Doctoribus præcisè intelligenda esse, vel de humanis superiori (de quo q. 3.) interpretanda, notasse semel sufficit (ne singula, cum omnia eandem vim, & solutionem habeant, proponamus, & diluamus) alias magna, & temporis, & caritæ iactura foret. Obicis ergo à ratione. Humanitas Christi habebat vniõnem hypostaticam cum Verbo: atqui titulo vniõnis hypostaticæ quidquid honoris, ac dignitatis infra Deum est, debebatur: ergo dignitas vniuersalis Regni humani, quod infra diuinam dignitatem procul dubio est, humanitati Christi debebatur. Certe hoc argumento, si quid probat, probabis eum fuisse sui oppidi Prætorum, vel, vt Hispanè dicitur *Aleade de Aldes*; distinguenda est minor: quidquid honoris, & dignitatis est infra Deum formaliter distribui debetur, nego minorem: eminenter, concedo minorem: id est in quâvis lineâ dignitas suprema, in qua scilicet eius lineâ dignitates & honores illius lineâ, tanquam in excellentiori continentur: reliqua enim inferiora formaliter sumpta decedent humanitatem ad Dei vniõnem euectam: quare in re presenti regnum vniuersale creatum humanis omnibus excellentius debetur: quandoquidem titulus ille vniõnis dignitatem Regiam exposcit, quæ humana regna, non solum materis magnitudine, sed formæ etiam nobilitate longè antecellat.

2. Oppones rursus. Homo Christus Regiam humanam potestatem, siue regnum absolutum non habuit: ergo fuit regi humano subiectus, & vassallus. Probat consequentia: quisquis enim in Prouincia liber sui iuris, non est, vel Rex, vel Regi subiectus & vassallus est: aut Christus homo non fuit in Prouincia liberâ sui iuris, sed in Prouincia Galileæ, quæ in Herodis Regis ditone, & sub Cæsaris imperio erat: ergo, nisi Christus illius regni Rex fuerit legitimus, Herodis, & Cæsaris vassallum fuisse necesse est. Confirmatur ex Math. 17. vbi Christus per Petrum Cæsari tributum appendit, quod vassallatus, ac subiectionis alicui, tanquam humano Principi, signum est. Verum obiectio hæc potius probat de regno Iudaico Christi, quam de regno vniuersali humano ipsius. Confirmatio, siquid probaret, probaret nulum humanum Regnum Christum habuisse, nec Iudæicum quidem, nedum vniuersale: Etenim factò illo videtur Cæsaris se vassallum, quare nullatenus absolutum Regem, declarasse precipue. Hac obiectione, & confirmatione mala conuicti Marcellus de Padua, siue Patauinus, & Ioannes Landuno docuerunt Christum, quæ hominem humanis Regibus subiectum, eorumque, quorum terris vixit, vassallum fuisse.

3. Hanc sententiam hæresis damnauit contra ipsos Ioann. Papa. 22. in extrauaganti relata lib. 4. summæ p. 2. c. 37. locus Math. non videt. Prius enim, quam tributum soluere Cæsari pro se, & pro ipso Dominum Petrum iuberet, Petrum rogauit, an tributum à filiis exigendum esset? an solum ab alienis? Petrusque respondente ab alienis solum, non à filiis, Dixit Christus: ergo filij liberi sunt: vt autem non scandalizemus eos, vnde, &c. Quibus verbis ostendit se tributum Cæsari non debere, nec illius esse vassallum, adhuc

R. P. Christoph. de Ortega de Deo vno & Trino.

secundum humanitatem: eiusque veritatis duplicem rationem à priori apertè indicauit. Prima est, quia filius naturalis Dei, Regis Regum, ac Domini dominantium cum esset, adhuc secundum humanitatem, multò à Regum tributo & vassallatu liberior erat, quàm eorum filij sint; secundò: quia eius filiationis naturalis iure, bonorum Dei hæres naturalis, ac particeps erat, quantum ipsius bona, & dignitates à creata humanitate poterant participari: Quare, & ius supremi diuini imperij vniuersalis in summo ex creatis perfectionis gradu humanis omnibus longè excellentiori fuisse à sua humanitate participatum: ac proinde eam eminentiori Regno super Cæsarem, & Reges omnes humanos regnare, illisque esse superiorem, nec posse esse humano modo vassallum, & tributarium eorum. Vnde constat ad obiectionem primam negandam esse consequentiam, ad cuius probationem negatur maior: nam nec Deus humanam Regiam potestatem habet, nec tamen illi est subiectus.

QVÆSTIO III.

An homo Christus vniuersale aliud excellentius humano Regnum habuerit?

AD Hæc quæstione nil Doctores, sed soli Recentiores egerunt quod notatum velim, vt eis veteribus, proaliter quæstioni huius resolutione, à suis Patronis numerantur, recensendis ablineam.

CERTAMEN I.

Communis, ac nostra affirmatiua sententia.

1. **N**otra, & communis doctorum sententia est: hominem, siue ipsius humanitatem Regiam vniuersalem potestatem creatam humanis Regnis, Angelicisque Principatibus excellentiorem in omnes Angelos & homines, scilicet in omnem rationalem creaturam, habere. Ita Valquez d. 87. c. 2. Soar. d. 48. sect. 2. Mendoca in 1. Reg. c. 2. num. 10. ad notat 15. sect. 3. Salazar in id Prouer. 8. per me Reges regnant. Bernal. d. 61. sect. 3. num. 20. qui plurimum ex nostris esse constat, & sane ex Valquez & Soar. tempore, quo nata ea quæstio fuit, solus noster Petrus Vadingo, quem viderim, negauit d. 11. dub. 3. num. 49. Sed tamen, licet adeo vulgaris sententia sit, non vulgaribus testimoniis probanda est. Primum esse solet ex. 2. ad Hebr. vbi illud applicari videtur Christo: *Omnia subiecit sub pedibus eius*; sed tamen hoc non de Christo intelligunt Dauid, nec Paulus, sed de homine, quem, licet naturâ Angelis inferioriorem, cum tamen præfecit, non Angelum, orbi, quem condidit. Indèque probat Christo homini, licet secundum humanitatem Angelis inferiori orbem terræ futurum, id est spirituale Regnum, præ Angelis esse donatum: sicut illis verbis: *non enim Angelis, subiecit Deus orbem terræ futurum de quo loquimur*: vt paulò antè proposuerat. Posito enim ex eo ipso illo hominis communis orbi terrarum præ Angelis præfecto, eum (Christum hominem) qui modico, quàm Angelis minoratus est propter passionem mortis, gloriâ, & honore coronatum, vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem. Nisi enim de spiritali solum regno Christi loquatur quorsum subdit. Nunc autem necdum videmus omnia subiecta ei? an alio, quam spiritali regno subiecta aliqua Christo tunc erant? quando verò sunt reliqua politica? Christi potestati subiecta? nunquam sanè: cum tamen locus id significet.

IIIi nificet.

nificet: alibique Paulus futurum afferat. 1. Corint. 15. *Cum autem subiecta fuerint illi omnia. Loquitur ergo de spirituali regno orbis, siue sæculi futuri.*

2. Secundum Testimonium esse solet illud *data est mihi omnia potestas in caelo, & in terra.* Sed nec id ex Patribus aliquis de alio, quam spirituali regno interpretatur: statim ergo Discipulos ire, & Baptizare omnes gentes easque cocere spiritualem vitam iubet. Plura Patrum testimonia à Soar. ad rem istam inducta infirmat Vasquez c. 2. cum aliis, quæ afferri possent. Hæc speciosiora sunt Athanasij ferm. in euang. De sanctiss. Deipara & Damasc. 4. de fide c. 15. post medium, *vbi B. Virgo omnipotens domina, & hæc dicitur, quia Mater Dei exiit: (sic legit pro idumea) possessio eius. his interpretatur: Christus hic est, qui possit sibi vendicat, & iure creationis, & merito redemptionis & dono Patris.* Sed ibidem ait: *dispensatio tibi super illum, (orbem terrarum) eredita est, non data possessio.* Quam dispensationem titulis illis datam ait. Dispensatio autem orbis terrarum spiritualis solum potestas est, & quam suis vicariis Christus dedit, nõ politica. Testimonia prima nihilo magis præstant: nam Dominium ad Regiam potestatem non spectat vt q. 4. videbimus. Insuper: quia iidem Patres solius regni spiritualis vsum, possessionem, & exercitium Christi homini concedunt: alterius verò regni ius & potestatem nec negant nec afferunt, vt bene obseruauit Vasquez cap. 3. num. 26. §. *ex his omnibus: quare regnum, & dominium, quod Mariæ concedunt titulo Maternitatis, spirituale, nec absolutum, solummodo est respectu creaturarum omnium, nam politicum humanis superioribus: quod ne Scholasticis veteribus venisse in mentem in quæstionis præfatione notabamus.*

3. Duobus igitur Apocalypsis testimoniis tantum verosimilius probari conclusio videtur nostro Vasquio cap. 2. num. 14. licet à nullo alio interprete in eum sensum explicentur. Alterum ex cap. 1. num. 5. vbi Christus, quæ homo, *Princeps Regum terra* dicitur. Alterum ex cap. 19. num. 26. vbi dicitur Christus inscriptum habere in femore, & in vestimento (*humanitatis scilicet, iuxta Patres, & interpretes*) *Rex Regum & dominus dominantium.* quibus directæ potestas, & iurisdicção realis non omnes Reges terræ, atque in dominantes omnes Christo homini tribuitur; Ast hæc non est ratio Regni spiritualis, cuius potestas in Reges directæ non est, sed solum indirectæ, in ordine ad finem, & bonum spirituale, sed potestas regni politici, quod Christus habet: atque hoc nequit esse humanam, vt vidimus, quia nimis abjectum, dignitatẽque Christi quæ hominis etiam, deducens: ergo est humano excellentius, ac dignitate superioris.

Probatur 2. ratione, quam secundo q. 2. num. 3. attrigimus, pressitque Bernardus, & Paleus expressius, quia humanitas Christi ratione filiationis naturalis Dei quam habet, hæres est Dei Patris, ipsique habet, vt Deus ipsi communicet quidquid potestatis suæ communicabile illi absolute est: atqui potestas, & superioritas respectu rationalium creaturarum communicabilis Christi humanitati est: ergo humanitas habet ius, & exigentiam dignitatis, vt ea ipsi communicetur à Deo; imò vnione ipsa communicatur in actu primo: ergo, & fuit ipsi communicata cum id Christo gloriosius sit ac non repugnet, nec Redemptoris muneri aduerferet. Minor probatur. Nam potestas, & superioritas politica in creaturas omnes rationales, etiam Reges, & Principes est, ad præscribendas eis omnibus, omnes leges politicæ gubernationis, eis imperandi, eorum controuersias dirimendi, & diiudicandi: in cuius potestatis communicatione nulla apparet repugnantia, nec cum Christi munere oppositio.

4. Probatur rursus ratione, quia humanitas Christi ex vnione hypostatica ad eam dignitatem euecta est, vt omni rationali creaturæ adeo excelleret, vt ad voluntatis nutum, quæcumque eam agnosceret, dignita-

tem, scens omnibus parere teneretur, seque illi subicere, sicuti & supremo creato culta, siue latius licet non summa, ipsum venerari: erat quippe ex vnionis natura, & dignitate Rex, non ex subditorum electione: sicut nonnullos abiectionis natura genioque suo, homunculos natura feruos appellat Arist. 1. Polit. cap. 8. Accedit titulus meritorum humanitatis vnitz, quibus omne præmium angustum, nedum excedens, erat. Licet autem posset Deus hac obligatione parendi ad meritum humanitatis creaturas rationales liberare, vel aliam humanitatem assumere, sicque impedire humanitatis Christi regnum vniuersale: cum duplex eiusdem rationis potestas absoluta circa rem eandem, non nimis, quam duplex Dominium in solidum circa idem repugnet; dono tamen Patris, nec creaturas rationales exobligantis, nec ita impediens eam potestatem, obtinuit, vt Bernardus aiebat. Nec nobis dinandandum est in casu, quo Deus aliam humanitatem assumeret, an regnum vniuersale, quoad vsus expeditionem pariendum esset? an alterutri solum concedendum? an neutri? cum nequeat vtrique: res enim puri consilij, & arbitrij Dei foret.

CERTAMEN II.

Obiecta soluta, & doctrina præfata conscellaria.

1. **Q**ppones Damascenum Orat. 2. de natiuitate. Virg. dicentem. *Non partis in oculorum sensum cadentis ratione, siue (vt bene Vasquez ex Græco) non sentiam id, quod visibile est in Davidis patris sui solio sedare ostenditur, verum spiritualiter.* Sed certè Damascenes duplex regnum distinguit, humanum Davidicum, & spirituale: hoc concedit, illud negat, quod secundum visibilem apparatus est, non autem tertium nostrum, quod stat sine solio, & apparatu visibili in Christo humano & visibili superioris.

Ab absurdo argues. Habuit Christus Dominus eam potestatem, & regnum: ergo eam Vicarij Papis reliquit. Concedunt aliqui, Pape relictam à Christo, in totum orbem Politicam potestatem, etiam in Reges directam; sed malè: sola enim spiritualis promissa Petro illis verbis fuit: *& tibi dabo claves regni caelorum.* data verò illis: *Pasce oues meas.*

Instabis: ergo nascente Christo regna humana cessarunt, vt pseudo Thomas aiebat. Sed neganda est consequentia. Cum enim superioris ordinis, & rationis alterius atque humana regna, cum eis non pugnat, sicuti cum eis, eadem de causa non pugnat regnum increatum & diuinum. Ideo Aug. tract. 115. in Ioann. ad illa verba: *regnum meum non est de hoc mundo: Christum ait tacite dixisse ad omnes Reges terræ nullo timore non impedit dominacionem vestram.* Ecclesiæque ait non eripit mortalia, qui regna dat caelestia. Licet autem Regna humana politico Regno vniuersali Christi subiecta ac subordinata sint, non tamen Christi nomine Reges ea habent, sicuti eius vicarij: ne tales dicendi sunt: tunc præsertim, cum eo nomine perfidi hæretici Anglicani Reges suos vicarios Christi, etiam in regno & potestate spirituali, erroneè clament.

2. Quarta obiectio contra rationes conclusionis. Tituli enim omnes huius regni Christo ab instanti incarnationis & ortus fuerunt, & tamen regnum hoc Christo ante mortem non adfuit, dicente Paulo ad Rom. 14. *in hoc mortuus est, & resurrexit, ut vitæ eorum mortuorum dominetur:* ergo rationes illæ intentum nostrum non probant. Concedunt minorem ob Pauli testimonium aliquæ apud Soar. sect. 2. §. *quæres, sed malè id eo testimonio, quod planè de regno spirituali Christi est probari admittunt.* Neganda est igitur minor, quia posita vnione, regnum hoc quasi metaphysice est illius passio, licet actualis subiectionis exercitium

tium possit per voluntatem Dei ex obligantis rationales aliquas, vel omnes creaturas impedire: tum quia licet impediri regnum & potestas in se, nec solum in exercitio possit, vt credit Soarius ibidem, non erat cur regnum hoc impediretur humanitati Christi, dum iussit: cum ea potestas nec Christi ad nos exempla, doctrinam, & redemptionem impediret. Denique datâ gratis minori, consequentia non tenet. Vt enim sæpe docuimus posito adæquato titulo, imò titulis pluribus, vt Deus aliquid creaturis, imò & humanitati Christi concedat, potest Deus absolute, vel negare, vel differre quouisque titulus alius adueniat.

Obiectabis quintò: frustra est potentia, quæ non reducit ad actum, & exercitium: atqui regnum, & potestas hæc Christi nunquam reducit, reduciturve ad actum dicente Christo *regnum meum non est de hoc mundo*: ergo frustra adesset: ac proinde non adfuit Christo eiusque humanitati. Minorem certam ex hoc testimonio putant plerique; maioremque, vt dignitatem philosophicam sine vilo examine, ac diffinitione venerantur; quidni consequentiam concedant? Minor mihi dubia est; certumque eo testimonio minimè probari, quod solum est de regno mundano, siue humano, nec solum de regno in actu secundo, sed in primo, vt supra vidimus: quare, si de regno humanis superiori intelligatur, vt ab his admittitur, sua & nostra conclusio de eo Christi regno in actu primo, ipso hoc testimonio improbat. Sed nec maior, adeò indifferens est admittenda; sed solum frustraneam esse potentiam quæ reduci ad actum de se nequeat, vel cuius exercitium nunquam erit, quia per accidens impediatur. Item in potentia, quæ solum actiua est nullique rei alij inferuit; nam potentia, quæ per accidens vsu caret, de se frustranea non est, vnde, licet regni & potestatis huius exercitium nunquam sit futurum, cum id per accidens ex Dei, vel ipsius humanitatis libera voluntate proueniat, non erit ea potestas frustranea. Deinde: cum non solum sit eius finis actus, sed honos humanitatis ipsius, non est frustra. Minor mihi dubia, vt dixi, est: nec probabitur nunquam eius potestatis vsum futurum: Quare vtroque pede claudicat argumentum.

Opponit tandem Vvadingo. Nemini datur potestas aliqua à Deo, cordatove alio, sine viribus ad vsum, nisi vbi abusus earum timetur: Atqui humanitati Christi data non sunt vires ad vsum potestatis v. g. astra mouendi ad nutum, atque Angelos, seu Dæmones, & homines inuitos trahendos, vt parerent, ac seruirent: quin suis ad Patrem precibus ad sui præsidium Angelos se adducturum, si oporteret, Christus aiebat: & tamen non erat in humanitate Christi periculum abusus, & potestatis, & virium ad eius vsum datarum: ergo, nec data est ipsi regia illa potestas. Maior videtur constans: inde enim, quod homini data vires non sunt, ad mouenda pro nutu astra. Colligit doctores communiter apud Lessium 4. de iustitia, & iure c. 4. dub. 8. non esse illi datam potestatem seu dominium in astra. Respondetur, distinguendo maiorem, quæ solum vera est de potestate, quæ datur ad vsum, ad quem vires necessarie præterea sunt: & de hac procedit argumentum Lessij; non autem de potestate, quæ non tam datur ad vsum, quam ad honorem, vt in nostro casu contigisse videtur. Minor præterea est falsa: habuit enim Christus virtutem ad patranda miracula, vel omnipotentiam præparatam per Dei voluntatem, præstòque accursuram, vt humanæ voluntatis Christi iussa creaturæ rationales capefferent, ac statim exequerentur. Sed instat Vvadingo: miraculorum potestatem, & præparationem hanc omnipotentis supernaturalis absolute esse: cum tamen facultas, & vires ad vsum huius potestatis debeant esse naturales: Nego extremum hoc: Cum enim regia hæc potestas supernaturalis absolute sit, vires ad eius vsum, quæ ipsi proportionari debent, naturales absolute esse non debent, sed

R. Christoph. de Ortega, de Deo vno & Trino.

solum eiusmodi potentis supernaturalis connaturales: quare potius absolute supernaturalis.

QVÆSTIO IV.

De dominio humanitatis Christi.

NOTIDEM humanitatis Christi dominia, quot regna considerari hic possunt. Primum diuinum, quod Christi humanitati non adfuisse certum nobis est ex dictis, præfatione huius disputationis: creatum verò, seu non purè diuinum Dominium creaturarum ad rem præsentem diuidi in humanum, atque humano superius debet, vt de vtroque seorsim disputetur.

CERTAMEN I.

Christi humanitas in creata omnia humano superius Dominium habuit.

CONCLUSIONI aduersantur Vasquez d. 85. citata c. 6. num. 40. §. Ego verò Vadingo d. 11. dub. 5. §. Dico primò licet à Vasquez fundamentis discerderet. Eam verò tradunt Soar. d. 48. sect. 2. §. Dico secundò Francisc. Mendoza in 1. Reg. c. 2. num. 10. an. p. 15. sect. 3. Communemque esse testatur Vvadingo §. 1. Ex veteribus plures pro alterâ parte recitantur, plures pro aliâ, sed immeritò: hoc enim dominij humano superioris genus, ne in mentem veteribus quidem venit, vt disputarent, nedum vt desinerent. Solum referri pro nobis possent, qui regnum humano superius humanitati Christi nobiscum concesserunt q. 3. cer. 1. n. 1. si Vasquium excipias, qui malè è regno ad dominij consequentiam tenere putauit.

Probatur conclusio ex Apocalypsi 19. num. 16. vbi Christus scriptum habere dicitur in femore, & vestimentis humanitatis: *Dominus Dominus*: siue, vt Græca habet, *Dominorum* id quod de iis solum qui Dominium directum habent, dici consuevit: est Christi humanitas non habuit Dominium directum humanum: ergo humano superius. Probatur secundò à ratione: quia humanitas ratione vnionis, indeque ortæ naturalis filiationis Dei dignitatis, & meriti inferiori, habet, non solum vnum, sed plures adæquatos titulos ad excellentias omnes de facto obtinendas, quæ nec in se, nec cum humanitatis, & Christi officio repugnant, ipsamque de deccant: ac eâ denique ratione tantum regnum humano superius illi Vasquius ipse deferebat: est Dominium hoc excellentia, & dignitas decens humanitatem Christi est, neque cum Redemptoris munere pugnant æquæ atque regnum. Insuper, & est possibile, nec pugnant cum Dominio humano ordinis inferioris: sicut nec Dominium naturale diuinum, & regnum humano superius, quod in humanitate Christi q. 3. adstruebamus: ergo Dominium hoc inferius diuino, superius tamen humano, erit humanitati Christi concedendum.

Dices cum Vasquez Dominium adæquatè diuidi in Dominium excellentiæ, seu diuinum, & vtilitatis, quod est humanum, nec medium aliud esse excogitabile: cum autem humanitati diuinum non competat, nec humanum, seu vtilitatis, ne vel hominum Dominia essent, vel detur duorum Dominium in solidum erga rem eandem, quod implicat, vt vidimus contr. 2. d. 1. negandum absolute est humanitati Christi rerum creaturarum Dominium: quod secus in regno habet. Cum enim hoc solum dicat potestatem ad publicam, & politicam gubernationem, dari potest medium inter hu-

manum, & diuinum, nec in hac duo adæquatè diuiditur. Contra, quia sublato incarnationis mysterio, ac proinde excellentibus ad eò titulis humanitatis vitæ regnum adæquatè diuidetur in excelsum, seu diuinum, & in humanum, quod tamen eis positus non ita adæquatè diuidetur per te: admittiturque medium quoddam regnum humano superius, quod titulus excellentissimis humanitatis vitæ proportionetur: ergo eis etiam positus non diuiditur adæquatè Dominium in excellens, seu diuinum, & vtilitatis, seu humanum, sicuti diuidetur, si hi tituli deessent, atque Ignorarentur: sed Dominium humano superius admittendum pro Christi humanitate est. Ast inquit Vadingo dub. 5. citato versùs finem, §. Vasquez ex definitionibus: Dominium esse potestatem vtendi re, prout liber, sine iniuriâ alterius id quod in humano Dominio integrè, ac perfectè inuenitur, quin appareat excogitare possit aliud, quod Dominium illud humano superius humanitatis haberet, si admittetur; quare, qui Dominium humanum deheant humanitati Christi, nequeunt humano superius eidem concedere, quin concedant Dominium, quod nec explicare, nec intelligere possint.

3. Verum enim verò Dominium hoc humano superius humanitatis facillè videtur mihi explicari, nec solum intelligi. Licet enim Dominium in eâ potestate vtendi re pro libito sine alterius iniuriâ sit positum, in humano tamen non tollit subordinationem ad Dominium superius, & voluntatem Dei illud erga res omnes habentis; si autem ratio & essentia Domini patitur subordinationem, ac superioritatem, & inferioritatem, quidnam est intellectus, nedum explicatus, impossibile, imò difficile in eo, quod humanum bassum Dominium non solum Dominio, ac voluntati diuinis, tanquam inferius cum superiori, subordinetur, sed etiam ob adeo excellentes titulos ab vnione hypostatica cum Deo in humanitatem Christi profectis, eidem humanitati, eiusque voluntati subordinetur, vt absque iniuriâ humanorum Dominorum possit hæc de rebus omnibus creatis disponere, ad eum modum, licet non adeò supremè, ac potest Deus? Ecce Dominium diuino inferius, superius humano, quod humanitati, Christi damus, facillè explicatum. Confirmatur, & explicatur amplius: quia, sicut è regia humanitatis eiusdem potestate eiusdem titulis habita, ita subordinatas habet regias potestates humanitas ad ferendas leges politicas & civiles, dirimendâque lites, vt absque humanorum Regum iniuria contra eorum leges & iudicia, leges condere, ac diiudicare eorum subditos possit; sic ratione superioris huius Domini humanitas Christi rebus omnibus, quæ sub hominum Dominium cadunt, pro suo libito contra eorum voluntates, sine iniuria tamen, iustitæ illorum querelâ valeat vti, de que eis pro arbitrio suo disponere. Hoc ego Dominio vsùm Christum Dominum reor, cum a sellum hominis moniti solum, quia Dominus hu opus habet, non rogati, asserti ad triumphum Discipulis præcepit. Item cum daemones homines egressos, immonitis etiam Gerathelenis Dominis, in porcos, quos agerent præcipites intrare permisit. Nec enim opus est ad Dominium & voluntatè diuinam recurrere, sed ad humanam, ex quâ iubebat, & operabatur.

4. Probatur tertio conclusio; quia in Maria ratione Maternitatis Dei dominium in res omnes mundi asseritur à Patribus passim; atqui Dominium hoc requirit esse humanum, siue eiusdem rationis cum humanis: ne, vel humana cessasse, vel reiectis eisdem Dominium insolidum penes duos cogamur admittere: ergo Dominium vniuersale rerum omnium in Maria fuit humano superius: ergo citius admittendum in Christo est Dominium vniuersale superius humanis. Patet consequentia postrema. Quia proprius, immediatus, strictusque personam, ac filiationem Christi humanitas attingit vnione, quàm Maria maternitate; quin, ideo

hæc attingit Deum, eiusque filium maternitate, quia physicè attingit generationem humanitatem vitæ. Maior primi syllogismi plurimorum Patrum est, quos recitant Canisius 1. de Beata Virg. cap. 1. Viegas in Apocalypsin cap. 12. com. 2. sect. 2. Barradas t. 1. in Euang. lib. 6. cap. 3. Salazar. t. 1. in prouerbia, cap. 8. num. 15. Petrus Moral. 2. in Math. tract. 9. §. 26. ex quibus hæc vnium, vel alterum proferre sit satis Damasc. 4. de fide cap. 15. sic ex Athanas. ferm. de Sanctissimâ Deipara scribit. Sanè verò ac propriè Dei genitrix est Domina, atque omnium heræ, vt quæ simul, & ancilla, & mater summi illius officii extiterit. Rursus Athanas. ferm. de natiuitate. quandoquidem Rex est, qui natus ex virgine idemque & Dominus, & Deus: ea propter, & mater, quæ eum genuit, & Regina & Domina, & Deipara propriè & verè censetur. Bernard. fermone in id Apocalyp. 12. signum magnum apparuit in celo sic fatat: ea quod Mater Dei est Regina celorum, & Domina mundi, iure esse probatur. Quæ non solum de regno spiritali, & Dominio indirecto Mariæ in creata, ob quod absolute mundi Domina dici propriè non valeret, sed ratione Domini directi, quod humano etiam superius habuit, idque probant rationes Patrum quia Domini mater est. Nempe directi creatorum Domini, Dominium directum ipsi matri competere.

5. Diffracti obiter aduersariorum argumenta. Superest Ioan. Pap. 22. extrauagantibus cum inter nuntios, & quia quorundam de Verborum significatione definiens Christum aliquarum rerum, paucarum nempe, Dominium habuisset: ergo non rerum omnium, quod asserimus. Mala consequentia. Nec enim ex eo, quod Petro corrente reuelet Deus aliquem hominem currere, reuelat reliquos quiescere, ac non currere: Vel ex eo, quod de fide sit, Christum locutum fuisse cum Samaritana, de fide est neminem alium cum ipsa locutum. Sed contra vtentius: quia Ioannes loquitur ibi de Dominio Christi basso, quem sibi adesse in rebus, quibus vtentur, negabant Franciscani: definitque hereticum esse negare Christo Dominium illud, siue ius vtendi rebus, quibus est vsus, quia alioqui iniuste illis vtentur: atqui, si Dominium hoc humano superius haberet, nec vtentur iniuste, nec Dominium humanum bassum aliquarum rerum haberet, quod Ioan. Pap. habuisse definit: siquidem Dominia hæc, humano superius, & vniuersale, & humanum inferius rei eiusdem in eodem subiecto pugnant æque, atque regnum humano superius & inferius, purèque humanum pugnant docuimus. Vt huic instantiæ satisfiat, atque simul semelque nos hoc testimonio liberemus, tam pro hac, quàm pro conclusionibus certam. 2. statuendis, eius definitionis & argumenti occasio altius paululum memoranda est. Ea verò fuit huiusmodi.

6. Franciscani nonnulli, vt suam Dominicane paupertatem insultanter præferrent, asserbant se erga res; etiam quibus vtentur, non solum Dominium non habere, sed nec vsu iuris eis vti; sed solum ex iure ad vsum eis vsu facti vti, dependentes ab alterius, penes quem Dominium, & ius vtendi erat, voluntates Christi insuper exemplo se protegabant: quem illo modo rebus vsum, dum in mundo degebat, affirmarunt. Ioan. Pap. vel horum perulantia perit, vel beneuolentia in Dominicanos moros contra Franciscanos illos dupliciter egrit: & vt Doctor disputando (erat enim doctus alias vir) & vt Pontifex definiendo. Definuit ergo earum saltem rerum, quibus Christus vtentur, ipsi generatim & absolute Dominium fuisse non autem hoc fuisse huius, vel illius generis, humani scilicet, vel humano superioris: quod satis fuit, vt de nomine, (vt reor) Franciscanos illos errantes, ac Christo Dominium vniuersim negantes, compelleret, ac ostenderet ius ad vsum idem prorsus, quod ius vtendi siue Dominium esse, sine quo, cuiuscumque generis sit, rerum vsus illicitus esset, etiam humanitati. Vnde, & Franciscanis rerum, quibus vtentur, Dominium

minium humanum, quod solum habere poterant, necessario adesse, ne in eorum vltu peccarent.

Constat ergo falsum esse instantia assumptum antecedens, nec Ioannem de dominio Christi basso, siue humano locutum: cum eâ voce, quam vir Doctus factis callebat, abstinerit; quod si Dominium aliud superius nunquam cogitauerat, Spiritus sanctus abstinere fecit, vt definitur, ratioque subiuncta definitioni (si ea etiam definita sit, ac non ab illo, vt Doctore particulari adiuncta) consisteret. Sed eam definitam etiam esse non constat.

CERTAMEN II.

Nullius rei Dominium pure humanum seu bassum humanitas Christi habuit.

I Dominium vniuersale humanum in res omnes mundi, quod bassum vocant Christi humanitatem non habuisse concors Doctorem sententia est: nec minus conueniunt habuisse humanitatem Christi, humanum bassumque Dominium rerum aliquarum, quibus fuit vltus, dum apud homines vixeret. Ita Soar. supra, à quo nemo discordat. Consentunt expressè Vadingo citato dubio. 5. ver. fin. §. *Dico secundò* Bernal. citatâ sect. 1. §. 1. num. 3. fin. hoc putant expressè definitum à Ioanne 22. citatis extrauagantibus: cuius oppositum nuper offendebamus, dum definitionis illius, & occasionem, & sensum explicauimus cert. 1. num. 6. quin & primam conclusionem ex ea definitione deduci vulgò censent Doctores. Eo enim ipso, quod aliquarum fuisse definit, reliquarum Dominium humanum negatur humanitati, aiunt: quia & iuris axioma est *exceptio firmat regulam in contrarium*. Sed quam malè ac distortè consequens inferatur, ostendi cer. 2. num. 5. etsi de Dominio humano, ac basso aliquarum rerum intelligendum esset antecedens: quod ex definitionis memoratâ occasione & sine & ratione, apertè monstratur. Occasio enim erat Franciscanorum negantium se, sicut Christum, non habere ius vtendi, siue Dominium rerum, quibus vtentur. Finis definitionis, tam eos, quam Christum, habere Dominium rerum illarum, quibus vtentur; ratio, quia aliàs earum vltus, etiam in Christo illicitus foret: ergo de his, quibus vltus Christus fuit, agitur in eâ definitione reliquis prætermisiss, vt pote ad controuersiam, super qua definitur, impertinentibus: quare locum non habet regula iuris: quia exceptio non est aliquarum, de quibus controuersia esset. Citâs ego putarem, ex Dominio basso humanitatis erga res aliquas inferri eius Dominium bassum vniuersale erga omnes; si enim id genus Dominij vnitam hypothesicè humanitatem deceret, quò vniuersalius, decenius esset, atque illi propterea concedendum.

2 Dicendum igitur nobis est: nullum Dominium humanum, seu bassum humanitati Christi competere. Probatum primò: quia ad illud asserendum nullum est fundamentum. Secundò: quia humanitatem vnitam dedecet sicut, & Deum Dominium quoduis pure creatum, ac sicut humanitatè eandem dedecere humanum regnum docebamus q. 2. Tertio præcipue quia id Dominij genus est humanitati Christi impossibile: Hoc probò quia Dominium inferius cum superiori circa rem eandem est impossibile: atqui in Christo est Dominium superius vniuersale circa creata omnia, & singula; ergo humanum bassum inferius circa reliqua est impossibile cum illo: ac proinde nequit humanitati Christi inesse. Maior probatur primò à paritate de regni humani & inferioris impossibilitate cum regno superiori non pure humano, quam ostendebamus. q. 3. Secundò, quia ideo in Deo nequit

esse Dominium creatum inferius, quia in eo est superior, scilicet increatum: nam alioqui creato aliquo temporariè, & extrinsecus affici, & denominari, ipsius immutabilitati non repugnat, vt esse creatorem. Tertio: quia dignitas quælibet inferior respectu alius dicitur essentialiter negationem dignitatis superioris, respectu eiusdem subiecti, cui inest; ergo & Dominium inferius dicitur negationem superioris in subiecto, cui inest; ac proinde est impossibile cum illo. Antecedens probò, in filiatione adoptiuâ, quæ essentialiter dicitur negationem filiationis naturalis, vt vidimus controu. 4. d. 1. Secundò in dignitate adorationis, quam asserre nata est gratia habitualis, scilicet Dulxiæ, eamque humanitati Christi, cui inest, non asserit, quia adest etiam humanitati eidem dignitas adorationis Larriæ fere supræmæ.

3 Probatum quarto vtriusque Dominij impossibilitas circa rem eandem: quia Dominium inferius dicitur essentialiter subordinationem ad superius, atque Dominij inferioris dependentiam in vltu rei à voluntate Domini superioris, vt hoc renuente nequeat re vtique absque huius iniuriâ, contra verò Dominium superius dicitur negationem subordinationis ad inferius, atque superiorem Dominum vt re posse sine dependentia à voluntate Domini inferioris. Ast hæc omnia dicuntur necessariò diuersitatem voluntatum, qua Dominus superior possit velle vt re sua, nolente inferiore, vel qua inferior Dominus velle re eadem vti possit, nolente superiore, quæ in eadem humanitate nequeunt euenire. Item subordinatio necessariò dicitur diuersitatem subordinationis ab eo, cui subordinatur, quæ repugnat, eiusdem ad se ipsum: ob vtramque repugnantiam nequit idem sui ipsius superior esse: Confirmatur quia ob distinctionem necessariam subiectorum quam essentialiter dicitur subordinatio potestatum, implicat eundemque hominem esse proprietarium, & delegatum. v. g. puta Regem, & sui ipsius Proregem, Episcopum, & sui ipsius Vicarium, & Metropolitanum, & Suffraganeum. Licet autem possit delegatus in delegantis manibus potestatem delegatam renunciare, sicque se illa abdicare, non tamen eam in illum transfere, vt delegatus sui ipsius constituatur, delegatamque erga subditos, in quos proprietariam potestatem habet, deinceps sortiat: licet possit respectu aliorum, in quos proprietariam potestatem non habet, delegatam ab alio proprietario recipere vt in alterius Regis Proregem, aliter siue Episcopi Vicarium, Rex, & Episcopus alius constitui.

4 Quintò: Probatum impossibilitas à priori. Nullus quippe titulus Dominij pure humani, seu bassi adesse humanitati Christi potuit, posito Dominio illo, humanis superiori. Non quidem donationis: donari quippe alicui nequit, quod ipse est, siue in id hæres instrui, aut ex iure hereditario succedere: nemo enim rei lux hæres constituitur, & sic de titulis aliis humani, seu bassi Dominij. Licet ergo plura homini Christo à prius foemina, virisque, ad vltum, & vltum fuerint ministrata atque sic ministrantes, se illorum Dominio voluntariè abdicarint; ast nec Christus humanum eorum Dominium acquisiuit, nec eis ex illo, sed ex suo Dominio humanis superiori est vltus quem admodum ex votis, donisque Deo oblati, licet Ecclesia Dominium humanum, seu bassum adquirat, secus Deus, respectu cuius non peccatur contra iustitiam, sed solum contra religionem, si votum non impleatur, vel donata auferantur; etsi respectu Ecclesiæ contra iustitiam peccetur. Denique, quoad vniuersale Dominium humanum speciale ab absurdo argumentum suppetit. Quod nimirum à Christo nato reliquorum hominum Domina humana cessassent, ne implicatoriè Dominium in solidum humanum, eiusdemque rationis penes duos admittatur.

5 Dices Christum exemplo paupertatis religiose præuultisse

præiisse discipulis, ac Religiosis omnibus dicens Luc. 14. num. 33. *qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus* atque ad adolecentem Matth. 19. num. 31. *si vis perfectus esse, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me.* Unde num. 27. Petrus *ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*: sed nisi rerum dominio se abdicasset non præiisset exemplo Religiosis: ergo saltem, ex quo prædicare cepit, se rerum Dominio abdicauit: ergo antea habuit Dominium humanum rerum. Patet: nam Dominio humanis superiori abdicare se non potuit, neque abdicare se non posset. Sed vellem obiectiones sui memores esse. Etenim eis tantum rebus, quibus Christus vtebatur Dominium humanum habuisse illum voluit, ex definitione Ioannis secundi, ex cuiusque ratione aduersariorum modo intellecta: ne scilicet earum usus esset licitus, & iniustus, nisi Dominium haberet tunc ipsarum: ergo earum rerum, quibus est usus, Dominium non renunciauerat humanum, cum eis vtebatur, vsuque consumebat: at aliarum Dominium humanum non habuit per aduersarios, qui illarum solum habuisse voluit, saltem non omnium: ergo nullum Dominium humanum renunciauit. Quomodo ergo renuntiantibus discipulis, & religiosis rerum suarum Dominium præiuit exemplo, ut illum etiam in paupertate sequerentur? respondeant etiam aduersarij. Si enim solum humanum Dominium remittunt, hoc non renuntiauit, in eorum sententia; si aliud etiam admittunt humano superius, hoc non est renuntiable, ut arguebatur.


6 Respondeo ergo pro omnibus de essentia paupertatis, etiam Religiosæ, substantiæque eius non esse abdicationem Dominij rerum, sed usus earum independentem à voluntate Prælati, ut constat in nostris Scholaribus, aliisque, qui gradum fixum in Societate nondum habent: ij enim vobis biennij emissis, quibus substantialiter, atque essentialiter religiosi constituuntur sola abdicatione vsus independentem à voluntate Superioris iurata, promissæque à Deo: & tamen retinent bonorum Dominium. Huic autem paupertati, licet nec Dominio humano renunciarit Christus, quod non habuit, nec humanis superiori, cui non potuit, exemplo præstantissimo præiuit renuntians rerum vsui ex Dominio illo independentem à perfectissima voluntate diuina. Licet autem in hominibus perfectior paupertatis gradus sit Dominio se etiam abdicare, quia firmiorem paupertatis statum, contra humanam instabilitatem, atque mutabilitatem de se adducit: ac proinde discipulos Christus, ne à perfectione bonorum amore regrederentur, ut Dominio etiam se abdicarent horrabatur; at hac stabilitate status omissa, perinde est vsus Dominij rerum tuarum paupertatis amore impeditur voluntariè habere: cum autem mutabilitatis periculum in Christi voluntate humana non esset, non video quid amplioris perfectionis in ipso esset renuntiatio voluntaria Dominij humanis superioris rerum, etsi esse posset, atque constans illa sua renuntiatio vsus rerum independentem à voluntate perfectissima diuina. Quæ verò ad exemplum præstandum attingit, si quantum potuit paupertatis præstitit, satis exempli dedit, ut nos præstemus quantum possumus; licet nobis Dominij etiam humani, quod ille non habuit, renuntiatio, materia vltior sit. Sic etiam exemplo suo ad vincendas tentationes, etiam internas nos docuit, quas tamen ipse non habuit, ac proinde nec vicit. An verò renuntiatio hæc Christi medio voto fuerit? negare videtur S. Th. 22. q. 84. a. 4. ad 3. quia alias in obseruatione voti liber Christus ratione antecedentis impeccabilitatis non esset. Sed cum hanc difficultatem in operibus præceptis emollierim non renuam vorum intercessisse cum Bernale d. 62. sect. 1.



DISPVATIO II.

De Sacerdotio Christi.

DE Sacerdotio Christi hæc videntur posse generatim inquiri. An Christus sit Sacerdos? secundo de huius Sacerdotij cum aliis similitudine, & qualitatibus. Tertio de huius imagine in Sacerdotio Melchisedech. Quarto de huius Sacerdotij duratione. Quinto de eius actu nempe Sacrificio.



QVÆSTIO I.

An Christus propriè Sacerdos fuerit.

NVM Sacerdotium, quaque ratione Christo Domino conueniat, quæstione præfenti examinandum est: ubi Sacerdotij Christi subiectum, & formam statuemus.

CERTAMEN I.

Christi Sacerdotium adstruimur.

NON agimus de Sacerdotio laxè sumpto, quodque in Christianis, iustisque omnibus adest: iuxta 1. Petri 2. *vos autem genus electum, regale Sacerdotium*: & Apocal. 5. num. 10. *scisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes.* Ad eum nimirum modum, quo bona opera sacrificia dicuntur Psal. 50. num. 19. *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus*, Ad Hebræ. 3. num. 16. *Beneficentia autem, & communionis neque obliuisci: talibus enim hostiis promeretur Deus.* Agimus enim de Sacerdotio propriè, & strictè dicto, dum an in Christo sit? disputamus. Sacerdotium igitur proprium in communi sic definitur Medina 3. p. q. 22. art. 1. *ut munera potius, quæ Sacerdotes veteris legis exercebant referuerit omnia, atque eorum aliqua periphrafi sæpe sua definitione vitiosè repetierit. Toletus de instr. Sacerd. c. 1. num. 1. sic Sacerdotium, sive Sacerdotem definit. vir cultui veri Dei autoritate diuina determinatis personis concessa firmiter deputatus.* Sed primo definitio hæc Sacerdotis, sive Sacerdotij in communi non est, primo: quia scemina absolute Sacerdos esse potest: ut constat ex Sacerdotibus gentium: ut propterea Sacerdos generis communis duorum agrum uarietatis habeatur; nec minus esse posset apud fideles scemina Sacerdos, vel Angelus, si Dei legem excludas. Secundo: quia ad verum Sacerdotium non est opus deputatione eius ad Dei cultum per diuinam auctoritatem; satis enim esset, si à populo, cui erat Sacerdos futurus in Sacerdotem deputaretur. Deinde, nec legis Christianæ Sacerdos, qui solum definitur intendebatur à Tolero exactè definitur; nam, & Laici religiosi auctoritate diuina ad Dei cultum instituti, & deputati possunt, quin ad offerendum Sacrificium, atque in Sacerdotes deputentur.

2 Exactius igitur Vasquez d. 87. c. 2. Soar. infra, atque ex eis Bernale. d. 60. sect. 1. §. num. 4. Sacerdotem, ac subinde Sacerdotium generatim definire. *Rationalis creatura per publicam auctoritatem ad offerendum Sacrificium constituta.* Desumitur definitio ex Paulo ad Hebræ. 5. illis verbis *omnis namque Populus, sicut ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in hiis, quæ sunt ad* Deum